



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

3. An liceat dicta commutatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

solius Dei Ratio habetur in huiusmodi commutatione.

Quintò, quia cessante sine præcipuo, ultimo Voti, & Iuramenti, cessat eius obligatio: ergo cum, facta commutatione in meliorem Dei cultum; esset finis Voti præcipui, cessabit & obligatio. Hanc sententiam videtur aperire *Secundum Cajetanum* (2.2. quæst. 86. art. 11. vers. ad huius evi.) & *Navarro* (lib. 2. de restit. cap. 2. in nova ed. disp. 3. n. 14.) Hæc ex Fagundez.

Cui adde de Lugo d. 29. de iust. n. 93. Votum (ait) non dat jus in iis, in quorum favorem vota emissa sunt, quando promissio non ipsi, sed soli Deo fit: quo casu, etiam si ipsi præsentem essent, & acceptarent, nullum jus acquirerent, & ipsis invitis posset dispensatione, vel commutatione tolli illud votum, ut fatetur Sanchez l. 4. in Decal. cap. 5. n. 14.

16. Dico secundò, P. Bernardinum semper etiam habuisse jus petendi à legitimo Superiore irritationem vel dispensationem, vel commutationem prædictæ dispositionis. Probatur id manifestè: nam quicumque subditus Religiosis, immò, quicumque absolute habet jus petendi relaxationem seu voti, vel iuramenti pij, de qua re nullus dubitat, ergo & P. Bernardinus, quam doctrinam, quia nunc usus nobis ea non erit, satis sit innuisse dumtaxat.

17. Dico tertio, ex dictis consequenter fieri, ut totam potestatem, quam P. Bernardinus habebat ad commutandum suum hoc votum, seu iuramentum in melius, vel in æquale: & jus, quo poteratur ad petendam in illius relaxationem, legitimè transulerit in P. Provinciale. Patet id ex illis verbis n. 2. allatis: *Das autem illi auctoritatem, ac potestatem, quam ipse P. Bernardinus habet valendi commutare dictum legatum.* Cum ergo ipse P. Provincialis possit in præsentia, quod antea poterat P. Bernardinus, consequens est, ut P. Provincialis possit tunc illud Votum, seu iuramentum in opus præstantius, vel ob opus æquale transferre; sicut antea potuisset P. Bernardinus, hæc tunc probatum est.

18. Dices in priorè dispositione allata n. 1. non invenitur. P. Bernardinum potiri hac potestate commutandi, ergo illa nequaquam gaudebat: ergo eam Patri Provinciali communicare non potuit. Respondeo, negando omnino antecedens. Cum enim certum sit, votum, seu iuramentum pium subiacere ex natura sua commutationi; eo ipso, quòd in priorè illa dispositione addit votum, seu iuramentum, adest, seu imbibitur in eadem quidquid est de natura Voti, & Iuramenti, & consequenter facultas prædicti commutandi, &c. Immo etiam si quis aliquando vovisset, vel iurasset se de priorè suo aliquo voto non petiturum dispensationem, seu illud non commutaturum; adhuc posse, existente causa, de hoc posteriore voto dispensationem obtinere, & deinde procedere ad dispensationem prioris, firmant passim Doctores. Legantur Sanchez lib. 4. in dec. c. 8. n. 36. Suarez lib. 2. de voto. c. 11. n. 6. Castre. 3. d. 1. de voto p. 8. §. 5. n. 5. Quare si in prædicta priorè dispositione (cum sit irrevocabilis inter vivos) adfuit iuramentum de non revocando, erit præcommutandum & hoc iuramentum. Quod cum sit accessorium ad iuramentum pium de legato, erit & ipsum pium, atque adeò propria auctoritate in melius transferri poterit. Transfertur autem in melius videtur statim, atque commutatur in aliud iuramentum de non revocando subsidium illud Missionum; quod certè subsidium præstantius bonum esse *maximè* probabimus, & consequenter iuramentum illi adhærens.

§. III. An liceat expedire commutationem prædicti Iuramenti in subsidium Missionum inter infideles?

19. **A**spero licere. Ratio potissima est, quia, ut supra vidimus, licet, etiam propria auctoritate, iuramentum pium non acceptatum, & in sententia, probabili, etiam acceptatum, opus evidenter melius commutare. Sed subsidium prædictum est longè, & evi-

dentius melius, quàm puellarum illarum sustentatio: ergo, &c. Minor hæc, in qua est vis argumenti, adeò mihi videtur manifestè, ut me præstat eam velle argumentis comprobare. Probatur tamen ad aliquos perniciam evellendam. Primò, quia bonum ad plures se extendens; semper, est excellentius bono, se extendente ad pauciores; ut per se notum est: sed Monachatus ille est bonum aliquarum puellarum particulare: subsidium vero hoc vergit in bonum totius communitatis. seu populi orientalis, immò totius Ecclesiæ, ut per se etiam constet ergo, &c.

20. Probatur secundò: Dote illæ Virgines destituantur: fateor, sed illas animas inter infideles degente remediis, auxiliis pro spirituali salute, majori damno destitutas esse inficiabitur nemo. Quare turpe cogita, quòd bonum ex objecto præstantius est, proximo nec in temporalibus, nec in spiritualibus multum periclitanti; an vero in spiritualibus graviter periclitantibus, esse subsidium.

21. Probatur tertio, subsidium, de quo agimus, tandem pervenit ad bonum fidei, ut conservetur scilicet, augeturque Fides apud Infideles, & Schismaticos: ergo sine controversia excedit eam bonitatem, quæ residere possit in illis puellis adjuvandis: quibus non deerunt aliunde, apud Christianos, subisque consanguineos, congrua alimenta: quæque si dote careant sufficienti, poterunt in paternam domum cum omni puritate divinis rebus inservire. Confirmatur primò, quia tanti semper aestimata est cura propagandi fidem, statim atque pro fidei prædicatione fuerit quis à Barbatis interfectus, numeretur inter martyres Christi sine controversia: quod non ita esse docet S. Thomas, propter alias causas, tamen ad ceteras virtutes pertinentes, nisi addatur aliquis ordo ad fidem. Ergo tanti aestimanda est cura dilatandi fidem, eademque conservandi inter Infideles, ut merito sit præferenda illi actui virtutis, quo Virgines prædictæ sublevari possent Doctrinam D. Thomæ his verbis affert Layman. lib. 3. c. 4. n. 3. *Causa Martyrij debet esse pia, quæ per fidem supernam alem immovet: nam Martyr dicitur, qui testimonium voluntaria sua morte probet veritati fidei Christianæ, secundum verba Christi: Omnis qui me confitebitur, &c. Notæ autem S. Thom. (2. 2. q. 124. art. 3. in corpore) quando aliquis periturus pro opere virtutis cum ordine ad doctrinam Christi, id est dum opus bonum deferretur, quia consentaneum est Fidei Christi: verè Martyrem esse, &c.* Confirmatur secundò, quia Summi Pontifices, si quando velint in aliqua concessione causam non vulgarem, sed magnam sed urgentissimam assignare, adiungunt eam pertinere ad cultum Fidei, & Christianæ Religionis conservationem: ergo eam maximum bonum, & præstantius esse, proferunt. Lege Bullam Pauli V. de Societatis nostræ confirmatione, qui dum omnium supremam causam nostro instituto vellet afferre, ad cultum fidei illud pertinere discretis verbis edocuit: Id quod, si de toto corpore Societatis rectè dicitur, multò magis de Missionibus immediate versantibus in partibus Orientalibus, Infidelium ac Turcarum ditioni subiectis, idem erit sentiendum.

22. Probatur quartò, ne sit in cultum fidei: certè huiusmodi subsidium dandum Missionibus est, ad finem cooperandi cum salute animarum: at omnes Sancti Doctores cum sancto Dionysio clamant, divinissimum esse cooperari cum animarum salute: Inquiri nunc ego, quænam major cooperatio cum salute animarum, auxilio esse octo, vel decem puellis, an tot Concionatoribus, Sacerdotibus, Operariis laborantibus in vinea Domini, nec jam inter Fideles, sed inter Turcas, ubi major urget necessitas animarum, & ubi vel nullus, vel satis exiguus est numerus operatorum Christi, &c.

23. Probatur quintò Nec desunt præstantissimi Doctores, ex quorum doctrina possumus colligere id, quod in præsentia disputamus. Suar. 2. 2. de Rel. tr. voto, lib. 6. cap. 18. n. 8. in commutandis votis (ait) sunt maxime spectanda spiritualis voluntatis utilitas, & finis voti intentus. Hæc ille. Cum ergo certum sit, P. Bernardinum intendisse ma-

P. Bernardini voluntate stant : tum quia admodum paucos ejus commutationis fama perveniet ; Vt quid enim tam per multos evulgare necesse sit ?

30. **F**inis impoſitus, tam eſſet huic quaſtioni, niſi illud vellem non prætermittere. Aſſero enim mihi ſatis probabile fieri, P. Bernardinum cõmunicaſſe quidem poteſtatem commutandi ſuum pium iuramentum P. Provinciali: ſed illam à ſe non abdiçaſſe: quod idem eſt, atque aſſerere, non privative, ſed cumulative P. Provinciali conceſſiſſe; ex quo ſequitur, P. Bernardinum ex ſe poſſe, cum commutatione facere, atque, ſi ipſe præveniat Patrem Provinciale, prævaliturum ſuam commutationem: ut accedit in ſimilibus eadem poteſtate ſuævenibus, in quibus datur locus præventioni, &c.

32. Secundò, quia pari modo Episcopus, v. g. vel Delegatus à Principe ad universitatem causarum, qui alium subdelegare potest, *c. fin. de off. deleg. inie. & c. cum causam, de app. jud. c. ad iudiciis*, vel Prælatus quicumque regularis; communicant quidem subinde suam aliquam auctoritatem Vicario, Subdelegato, Confessario Monasterij vel conventus: & non raro addunt se concedere totam suam auctoritatem ad agendum, ad dispensandum, ad absolvendum: at non propterea suam potestatem ab eis delegant, vel renuntiant. Ita Ergo videtur in casu nostro.

33. Tertiò, quia juramentum, cum sit lex privata, quam sibi indicij jurans, est interpretandum ita, ut minus, quam possit præjudicet juranti, nisi contrarium expresse de ejusdem jurantis intentione constet. Cum ergo expresse non constet de intentione P. Bernardini, quæ voluerit facultatem commutandi suum juramentum in melius omnino, se renuntiare; præsumendum est nequaquam renuntiassse, sed eam sibi retinuisse. Quod autem juramentum, servata proprietate verborum, sit ita interpretandum, ut quædò minor potest, obligatio inducatur, quia semper præsumitur jurans minus voluisse suæ libertati nocere; est doctrina nimis vulgaris; & potest videri apud Abbatem, Sylvest. Suar. alioque apud Cast. 3, tr. 1. §. 1. de jur. p. 14. lege etiam Laym. lib. 4. §. 4. c. 3. n. 4.

34. Neque te scrupulis commoveat quasi non poterit P. Bernardinus ea facultatem nominandi, eligendi, et commutandi sibi post professionem, retinere, potuisse enim difces ex dictis per similem occasione à Castr. t. 3. tr. 16. d. 4. p. 1. §. 1. n. pref. 1. 2. et Lugo rom. 1. de iust. d. 4. sect. 6. n. 111. quos, licet otium, lege, nam nobis id fuit persequi opus non est.

35. Summa igitur hujus Consilii est, P. Provinciale
posse validè, licitè, & congruenter legatum de mon-
achandis puellis, in subsidium Missionum transferre: ac
probabile esse, idem posse fieri ab ipso P. Bernardino, nisi
is eam potestatem à se abdicare expressè intenderit, quan-
do eam cum juramento P. Provinciali communicavit.

Laus Deo, Beatissimæ Virgini, ac Beato Aloysio.

LIBER